Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 13. Novembris.

M. CLAUDIO BOURDELIN, Doctore Medico, Præſide.

An æqua functionum Naturalium, cum Chymicis Operibus comparatio?

ARTES innumerabiles repertæ ſunt docente Naturâ, quam imitata ratio ad vitam neceſſarias ſolerter conſequuta eſt. Artes omnes quæ circa materiam aliquam verſantur, Naturam imitatione exprimunt, ejuſque meræ ſunt imitationes. Bonarum artium initia antiquiſſima, ipſi Naturæ propè coæva: omnes in adjumentum Naturæ, aut ſupplementum, aut ornatum, aut neceſſitatem exquiſitæ. Earum multæ variis hominum ſtudiis debentur. Omnes repugnante Naturâ, vanæ, futiles; obſecundante, veræ; magiſtrâ docente, doctæ, eruditæ. Quidquid homines arte perficiunt, per naturam perficiunt: ab ipsâ mutuantur, vim, materiam, inſtrumenta, motum. Materia eadem in Naturalibus & artificialibus extenſione, figurâ, diſpoſitione, ſitu & configuratione diverſis prædita. Inſtrumenta ſunt ipſa materia variè diſpoſita. Motus omnis tum Naturæ tum artis, ab univerſali quodam fluido ſubtiliori, ubique præſente ἀεικινήτῳ. Vis omnis à materiâ, inſtrumentis & motu pendet, ſeu habitudo quædam eſt materiæ, motus, inſtrumentorum, certis Mechanices legibus, proportione ſibi invicem reſpondentium. Artificia omnia inventa, invenienda non niſi Naturæ veſtigiis aut operationibus inniti poſſunt, licet plerumque neſciant artifices quid imitentur: adeo ipſa in artibus, non tantum materiâ, ſed vi & induſtriâ; quia ars ſumma in Naturâ. Hæc non magis Geometrarum exemplar quam Chymicorum. Utrique Naturam imitantur: hi ſolvendo, compingendo; illi maxima, minima, æqualia, majora, minora, velocitatis gradus, temporum momenta, corporum figuras, ſpatia; quantitatem demum abſtractam meditando, ad uſus revocando. utrique circa σύγκρισιν & ἔκκρισιν ſuo modo occupantur. An Natura in chymicis præſtantior, quam in Geometricis? Ipſa chymiam adhibet, fermentationes edit, coalitus, reſolutiones, aquam à terrâ ſeparat, in halitus, vaporis modum ſolvendo tollit ad Nubes; eandem rurſus denſat; Non ſine naturali chymiâ cælum obducitur nebulâ, ſtillat ros, Pluviæ crebreſcunt, ruunt imbres, grando crepitat, perflant venti, tonitrua reboant, fulmina coruſcant, fulgura micant, ſæviunt tempeſtates, ſemen herbarum ruptâ pelliculâ in germen & caules adoleſcit. Scrutare telluris abdita, Gemmæ, Lapides, ſalium Fodinæ, Fontes, Acidulæ, Thermæ, Mineralia, Metalla, Ignes ſubterranei, montium eruptiones igneæ, πρηστῆρες, terræ motus, &c. meræ ſunt Spagiriæ naturalis ſolutiones, aut concretiones. Cuncta ſcilicet per conſtantem alterationis rotam verſans, ſolvit compacta, ſoluta compingit. Proceſſus ergo naturæ planè chymicus in omnibus rebus: hoc in receſſu conatur, ut concreſcant quæ cognata, ſeparentur quæ diverſa. Sed nec tantum ipſa per ſe chymiam exercet in orbe, ſed & per homines, per diverſos artifices ab rerum initiis prima poſuit ſpagiriæ veſtigia, per Adamum aratorem, per Tubalcainum conflatorem æris & ferri, per Noachum Vini inventorem, tum per inventores artis piſtoriæ, coquinariæ, cereviſiariæ tinctoriæ, vitriariæ, ſaponariæ, metallurgicæ, & innumeros artifices, in quorum officinis diu latuit obſcura, diſtracta, nec minùs à medicis adoptata. Non tantum ejus operibus uſi ſunt Medici, in abſolvendis fermentatione compoſitionibus, ſalibus eliciendis, parandis oleis &c. ſed nec omiſerunt recrementa, fuligines, ſcorias, & cineres olim pro recrementis habitos: nec à foſſilibus, metallis, lapidibus abhorruerunt Græci & Arabes optimæ notæ Medici: ſtibio uſi ſunt Hippocrates, Galenus, Dioſcorides. Hydrargyri vires quas ſe ignoraſſe Galenus profeſſus eſt, Æginetæ Mathiolo aliiſque non ignotæ, non deſpectæ, imo nec ipſe neglectus eſt, licet ejus mitigationem magnâ ex parte neſcirent. Sulphur propinarunt Hippocrates, Galenus, Dioſcorides, Actuarius, Aëtius. Calcanthum in pretio habuerunt maximo Dioſcorides, Avicenna, Geſnerus, Cordus, Crato. Itaque Chymici hâc in parte, præclarorum omnium, & antiquiſſimorum Medicinæ procerum, quorum vel ſolâ nominis auctoritate univerſa poſtremorum ſæculorum ſchola permoveri poſſit, imitatione cum nitantur, ab omni criminis aut infamiæ labe vindicandi ſunt hiſce temporibus: cum præſertim horumce & aliorum medicaminum, quæ in hominum utilitatem è ſinu ſuo largiter profundit Natura, ſi quæ noxiæ ſint vires aut facultates, ad opportunam Therapeïæ mediocritatem adduci probè valeant, beneficio artis ſpagiricæ, in dies (quæ ſors eſt omnium artium) per experimenta laboreſque creſcentis & amplificatæ. Sed & principia poſuerunt Medici per Hippocratem. Non tantum, ille, caloris & frigoris effecta ſpeculatus eſt, ſed & ſapores *Amarum, ſalſum, dulce, acidum, acerbum, & alia multa omnigenas facultates habentia copiam & robur*; quorum legitimâ temperie Naturam conſtare, diſtractione & vehementiâ deſtrui, ſcitè, ſapienterque docuit. Latuit tamen Spagiria ars nobiliſſima, per annos circiter 4600. membratim ſparſa in alienis laribus, ſordibus artium mechanicarum obruta, penè ignorata, donec eam colligentes, in unum corpus Arabes, ſtagmatum primi inventores, metallicæ medicinæque utcumque cultores, artem inveniſſe viſi ſunt, quam ſolum diſſutam collegerant, annis aliquot ante octavum à Chriſto S. ſæculum.

TUM denique primaria mutationum omnium ars, vetuſtiſſima invenit nomen; ſed vix aliquanto notior quam prius. Hanc adulatio Medicorum, adverſus Caliphas, cum rerum artium atque ſcientiarum dominos avaritiæ coëgit ſervire, atque æternitatis libidini, vanis pollicitationibus ludens homines, mercede pactâ; propagationem auri, vitæque prorogationem ſperare juſſos. Itaque metallis tractandis miſerè mancipata, chymæris Arabum conſpurcata, myſteriis involuta, larvata præſtigiis, ars optima, ars mentiendi, vana, imò & mala propè facta, ſaltem viſa eſt. Sub hâc perſonâ tamen vera protulit opera, nec à fuco aut fallaciis artificum, ita potuit, detorqueri ut falſa promeret: non Naturæ inſtrumentis, non ipsâ naturâ, ſed arte hominum abutebantur homines. Natura ubique eadem ſui tenax, bona, vera, opus Dei quamcumque in partem vertatur. Arte ſuâ propriiſque dolis fallebant. Spagiria ſincera ſemper edidit; analyſin, ſyntheſin, Solutionem, Concretionem, & quæ hæc conſequuntur mixtiones, Exaltationes, Liquationes, fixationes, Secretiones. Non ex artificibus, ſed ex ſe ipſis æſtimari debent artes. Quis Medicinam reputet malam, quod eam malè multi improbi, inſciique homines profiteantur, ad uſus pravos detorqueant. Durioribus ergò temporibus malè audivit Chymia, quod eam, non ſine hujuſce præſtantiſſimæ artis dedecore ac detrimento, exercuerint Agyrtæ, ardeliones, chymicos mentientes, qui figmentis temerè philoſophati, novam ſectabantur Medicinam, Pſeudochymici principia è Naturæ ſinu deprompta contemnentes; ſuaque inania fingentes, ſpretis antiquorum more & documentis, nihil aliud quam ſublimia Magiſteria, Quintas eſſentias, Tincturas Bezoardicas, Eſſentias ſpleneticas, Elixiria præcipitantia, ſal naturæ & alia hujuſcemodi crepabant, aut ſoli navabant operam Μεταμορφώσει, aut remediorum huic vel illi generi plæraſque ſanandarum omnium affectionum partes concedebant, cæteriſque neglectis præjudicatæ cuidam opinioni ſervientes, Medicinam compendiariam factitabant uni duntaxat medicamini inſiſtendum exiſtimantes; artem quam nec à limine ſalutaverant, non eorum artem, magnifico verborum apparatu, tituliſque inſignibus exornantes ac infucantes; apud quos plærumque nihil niſi ludibria mentis & rerum umbræ. Infelix ergo Chymia à Tubalcaino potiſſimum in Chami domum derivata, à Chamigenis ad Ægyptios, tum ad Græcos, Latinos, deinde ad Arabes nugarum pleniſſimos, ad Chinenſes, tandem ad Hiſpaniam, Gallias, Germaniamque fuit propagata. Hanc mutuatus à Baſilio Valentino extulit ſæculo decimo quinto peſſimè feriatus Paracelſus, homo nequam, impurus, vanus, in Philoſophiâ, litteriſque humanioribus omnino hoſpes, mendaciſſimus. Quæ Baſilius Valentinus aggreſſus erat pandere artis principia nominibus ipſe velavit inuſitatis, gratis multiplicavit, malè dilatavit ut faceret univerſalia, obſcura protulit, multa dictitando nondum exhalatâ crapulâ, nec ſui compos, coacervatis ex omni Paradoxorum, abſurdorum ac deliramentorum genere portentis, quæ fucatis coloribus veroſimilia reddere ſtuduit, ſuis ſordibus & ſomniis inquinavit Principia quæ felicior hæc ætas confuſa diſtinxit, recta revelavit, ſupervacua contraxit, quatuor contenta rerum non omnium ſed bene multarum principiis, Aquâ, Sale, Sulphure, Terrâ, imo & paucioribus Igne & Aquâ; nec his primis ſed proximis, ideò non tantum Medicorum officio commodis, ſed & idoneis contemplationi Phyſicorum quibus nec datum eſt, nec dabitur unquam aſſequi prima rerum initia. Felicior, quod non nova veteribus oppoſita ſed addita ſint, neque per hæc deleantur Hippocratici imo & Galenici ſapores, in quibus agentis Naturæ theoria probè poſita eſt, ſed fulciantur, illuſtrentur. Hippocrates ſi chymiam non omnino novit, ab ipsâ tamen haud aberraſſe videtur. Hoc fatum chymiæ, primum Metallurgiæ fœtus, jejuna, tenuis ſola tractavit metalla; tum ab Alchymiſtis uſurpata, ſtrigoſa tunc fraudibus & mendaciis ferè immerſa; deinde Mechanica, operariis inſeruiit, vilis abjecta ſpreta; poſtea Pharmacorum præparationi conſecrata; tandem cum ab artibus etiam vilioribus adminicula petantur Phyſices & ſpeciatim Phyſiologiæ phænomenis illuſtrandis ac eruendis opportuna, ipſam manibus ardelionum & operariorum litterarum rudium ereptam Philoſophi poſtremi omnium amplexati ſunt. Ipsâ facem præferente conati ſunt, accerſitis inſtrumentis diverſimodè applicitis, mixta naturalia in partes divellere, has & invicem & cum aliis concretis conjugare, ad indaganda principia corporis & morborum cauſas. Deſinant itaque Antiquitatis oſores, vitio vertere majoribus noſtris, quod hâcce chymiâ, & Mechanicâ ducibus deſtituti Medicæ artis penetralia Philoſophica haud ita commodè ſubintrare potuerint, Neoterici verò hiſce præſidiis abundè inſtructi nec audita ipſis veteribus, neque viſa aut cogitata quotidiè detegant: ſcilicet ab omnibus retro actis ſæculis ad uſque ſuperius Chymia veluti Medicinæ Parergon vel appendix, aut non tam medium, humorum indolem ac efficientiam indagandi & morbos horum ce cauſas dignoſcendi, quam hos tantum curandi, exiſtimata eſt; nedum de ipsâ hiſce omnibus accommodandâ apud ipſos cogitaretur. Conſimili propé fato Mechanica, ſeu corpuſcularis Philoſophia licet antiquiſſima ipſique Platoni aliiſque familiaris, Medicinæ tamen ante hanc noſtram ætatem numquam fuerat adaptata. Dies diem docet & docebit. Hiſce Mechaniſmis ſtructura & motus muſculorum, cerebri, linguæ, ventriculi, inteſtinorum, cordis, pulmonum, renum, ſanguiniſque in gyros itus & reditus detecta ſunt & expedita. Microſcopiis & aliis inventis partium ſolidarum, fluidarum textura inquiſita eſt haud infeliciter. Iis ancillantibus obſervata ſtupenda de quorum exiſtentiâ nequidem olim ſomniatum fuiſſet, deprehenſa ſunt animantium corpora ex variis rotis, elateribus, vaſis, follibus, eſſe compaginata. Demonſtratum ope Mechanices dato circuitu ſanguinis, eum è ſiniſtro ſinu cordis expreſſum, niti in utrumque Aortæ truncum totâ velocitate quam ab antliâ cordis accepit, non eâdem tamen arterias decurrere; ſed eâ ſolum; quæ ſuperat momenta reſiſtentiarum in iiſdem arteriis occurrentium; eundem ſanguinem citius pelli per arterias è partibus truncorum cordi magis proximis emergentes, quam per arterias è partibus truncorum à corde remotioribus.

QUIDQUID molitur Natura, molitur mutando, componendo, reſolvendo, ſolvendo, compingendo. Hæc omnia fermentatione perficit. Ubique eadem iiſdem operatur artibus. Cuncta pro ſuo quæque modo, aptâ nempe diſpoſitione materiæ in μακρῷ ἢ μικρῷ κόσμῳ per varias Fixationes, Concretiones Præcipitationes Fermentationis fœtus digeruntur, digeſta per innumeros canales dividuntur: ut metalla, gemmæ ſic ferè calculi in hominibus formantur, ut Terræ ſic cutis halitûs, exſpirationes egeruntur. Vegetantium ut & animantium omnium exortûs ab ovo repetat qui veritatis amans. Ab ipſo præpotenti Protoplaſte, cujus ars ſumma in minimis, efformata ſunt illa compendia minutiſſima, quæ dum explicantur & evoluuntur generari animal, aut naſci planta dicitur. Rudimentum hoc non niſi motu fœcundatum, nonniſi motu expeditur & vivit. Semen in utero, quaſi terræ gremio, exceptum dilatatur, expanditur, liquatur, ſegregatur, compingitur artificio immenſo in fœturam. Id omne fermentationis opus. Ipsâ exagitantur acuuntur actuoſæ particulæ, *ſublimatur* materia in vegetantibus. Diverſa obvia ſunt in earum partibus fermenta quibus ulteriùs in motum rapiantur ſucci, percolentur, ac præcipitentur craſſiora quæ ſpirituum attenuationi obſtent. Animal dum iis veſcitur, ſpiritum vegetantium motorem in ſui ſpiritûs naturam vertit, adhuc puri ab impuro ſecretionibus, noviſque tentandum Fervoribus, Præcipitationibus, Percolationibus, Cohobationibus, Circulationibus, in meliorem conditionem evehendum. An vegetantibus & animalibus idem ſpiritus, ſubtilitate majori, minori ſolum diverſùs? Sanguinis porrò intra certos meatus moti effluvia, ſpirituumque ut ſummè mobilium ita & æquè diſſipandorum diſpendia perpetua, quandiu machina movetur reſarcienda veniunt, (ne moveri tandem deſinat,) pari aut majori ex alimentis proventu ſuppeditato. Prævio appetitu ſeu motu nervorum ab humore quodam ſalino ferè acidiuſculo ſuſcitatorum, aſſumuntur alimenta, dentibus terenda, quo latiori pateant ſuperficie; ſalivâ reſeranda, quo ſolutio inchoetur: in ventriculum immittenda, cujus motu, calore, fermento (an acido nitroſo ſalinoque volatili temperato?) fundantur, colliquentur, fermentent, ſolvantur in chylum mollem, album ob infinitas ſulphuris rarefacti bullulas, lumen eâdem propè ratione reflectentes ac in ipſo ſulphuris lacte ſeu magiſterio. Chylus continuâ fibrarum tranſverſarum contractione, ſpiritibus, motu Diaphragmatis & Hepatis conſpirantibus, in inteſtina pellitur. Ibi neceſſario acceſſu bilis & ſucci Pancreatici ditatur. Illa ſale ſuo volatili amaro incidente Chylum, acidum quid adhuc ſpirantem, in ſalſum dulce ac volatile commutat, dividit, ſulphure ſuo ſaleque terrenas alimentorum partes cum ſeroſis aqueis copulat; ab affuſione ſucci Pancreatici ſalſo nitroſi ſeroſique diluitur ulterius bilis, chylus, fœcum præcipitatio juvatur; Chyli ζύμωσις & turgeſcentia redintegrantur, in viâ Mezenterii vaſorum glandularum & receptaculi Pecquetiani traducendæ. Novus tum lympharum ſeu fermentorum à corpore per vaſa lymphatica commeatus affluit, quo recreatus motu Diaphragmatis & ejus appendicum impellente, valvuliſque ſuo ſitu faventibus; ductum thoracicum conſcendit, & axillari venæ commiſſus ſanguineæ moli permiſcetur, ad cor properare jubetur, novam alterationem ſubiturus. Jam ejus bullulæ aut ſphærulæ à calore, motu, conquaſſatione, ſpiritibus, dividuntur, in eamque vertuntur figuram eumque naciſcuntur motum quæ rubrum oculis exhibeant: laxatur ejus compages, particulæ ſulphureæ ſalinæ ſpirituoſæ ſimilibus ex quibus ſanguis componitur aſſociari, magis attenuari incipiunt, ſenſimque aptâ quadam cohobatione, in arteriis & venis veluti Pelicano chymicorum vaſe, in ſanguinem faceſſunt, non diſſimili fortè modo quo vinum calens aceto ſuperfuſum in acetum commutatur. Sic æmulatur eam temperiem, quæ ſingulis propria eſt individuis, dum in hanc illamve partem inclinat aut variè flectitur, pro ſanguinis & humorum ἰδιοσυγκρασίᾳ diverſis typo, motu, mixtione, texturâ fibrillarum laxiorum, ſtrictiorum, magis minuſve mobilium & harum vel illarum particularum prædominio. Sanguis ſpiritibus plenus, dotibus multis inſignitus, ζωτικὸς animalium eorumque præcipua pars fluida, vi μοχλικῇ cordis & pulmonum agitatione per viſcera, per artus, per ſumma, per infima diſtributus partes vitali ſidere afflat, magis ac magis tenuatur, fermenteſcit (quid ni fermenteſcat ex fermenteſcente materiâ genitus, aliquot fermentis excitatus, partibus heterogeneis præditus, perpetuo calore fotus?) ab heterogenis eluttiatur in glandulis hinc inde per corpus omne confertiſſimis. Harum quia varia eſt configuratio quoad poros, varia etiam fit humorum utilium, inutilium, fermentorum ſecretio. In inſpiratione diaphragmate depreſſo, thorace ampliato aer vigente gravitate pulmones inflat, explicat, craſſiori ſuâ parte ſanguinem urget in vaſa, ſeſe ſuis particulis ſubtilibus, vitalibus, nitroſis, ſanguini immiſcet, purpuram largitur, fervorem auget, fovet; ſic nitri ſpiritus inter diſtillandum prodit rutilus; ſic ſalino-ſulphurea minera aeri humido expoſita efferveſcit. Sanguinis à corde per aortam non uno flumine ad Cerebrum emiſſi, per anguſtiſſimas minutiſſimaſque ſubſtantiæ cinereæ glandulas, veluti per ſpongiam alembico impoſitam ſtillantur, percolantur ſubtiliſſimæ nitro-aereæ partes. Hæ tum elatere ac niſu proprio, tum vibratione meningum & cordis ſubeunt calloſi corporis canaliculos, in quibus denſantur &, (veluti chylus cum ſanguine ſanguis efficitur, ita) cum ſpiritibus copulatæ, cohobatæ, ſpirituum indolem, naturam, motum, perfectionem adipiſcuntur. Inde per utriuſque medullæ, oblongatæ & ſpinalis tractus ſulcos ad nervos univerſi corporis deferuntur, in partes impetum faciunt, fermenta in diverſis glandulis componunt; inferunt ſine quibus animal eſſe nequit, ſenſum cum à partibus ad cerebrum, motum cum à cerebro ad partes undulatâ quâdam motione feruntur: Ab iis & ſanguine contractio muſculi, in abditis naturæ involuta: an à fibris muſculi motricibus, inſtar vectium ac funiculorum ſuper ſanguinis interflui particulas, ſic tamquam ſuper totidem trochleas attractis & in ſemicirculum motis, leviſſimo motu in attrahendo extremo utroque tendine vim magnam exerentibus? Spiritus ſubſtantiæ ſunt ſummè mobiles à quibus per ſubtile fluidum concitatis, otioſa ſuſcitantur ſanguinis principia. Sanguis varias ubi allabitur partes, pro ratione eorum, quibus nonnullæ donantur, incerniculorum varia in ipſis relinquit ſui veſtigia ſeu minima actuoſa, quæ à craſſioribus vinculis expedita ſui juris utcumque facta evehuntur à ſpiritibus immiſſis & exaltantur. Non aliâ ratione fermentati panis portio quædam aſſervatur in fermentum abitura. Stupendum ſanè naturæ artificium, in ſtruendis cribris colis incerniculis huic, non illi ſali trajiciendo patentibus! quis hanc pororum in cribris figuram vel eorum diametros capiat, ne dum imitetur? hâc arte fermentorum copiam non minimam ſibi comparat ad certos uſus, ſalivalem humorem, bilem, ſuccos, pancreaticum, lymphaticum, lienoſum ſanguini hepar appulſuro ſuggeſtum quo ſuam melius in jecore deponat ſarcinam, capſulæ utriuſque atrabilariæ, ſemen album ob præcipitata ſulphura, fermentum in utero certis temporibus, glandulæ pinealis ſuccum; (an hic armoniacoſali volatili analogus, per caudicem medullæ ſpinalis diffuſus vigorem addit ſpiritibus, & à coalitu aut concretione vindicat?) ſingularum ſecretionum denuò refundendarum materiæ totidem fermenta ſunt, quibus comminuantur & ad altiorem laxitatis & ſubtilitatis gradum perducantur ſucci hoc proventu aucti. A fermentatione ergo animalium generatio, nutritio, augmentum, ætatum viciſſitudines, alimenti ſolutio, coctio, excrementorum præcipitatio &c.

A SANGUINIS διαθέσει pendent potiſſimum διαθέσεις lymphæ, à glandulis in vaſa deferentia, ab his in ductum pecquetianum, venas, deinde in arterias, tum in eaſdem glandulas; ſpirituûm à nervis in partes, muſculos, à muſculis cum ipſo ſanguine in venas, arterias, cerebrum & ejus glandulas ulterius ſtillandi circumferendi. Eunt redeuntque ſimili ferè modo cæteri corporis ſucci. Motus ſanguinis triplex externus totius molis, circuitionis; internus vero à quo fluiditas; inteſtinus, liquorum fermenteſcentium proprius. Hic cuncta ſic agitat ut attenuatis ſingulis ad minimaque redactis, mobilioribus particulis impertiat motum, unde in earum effluvio perpetuo irrequietâque agitatione omnium libertas & diverſarum etiam congrua ſocietas conſerventur. Hujus extrà naturæ modum in corpore divagantis effectus ut & indicia ſunt febres, inflammationes, apoſtemata, anthraces, bubones, papulæ, variolæ, ſcabies, ulcera & aliæ concretiones ac ſolutiones naturæ laborantis opera. Fermenta negabit nemo qui ſpumam Epilepticorum, Scorbuticorum ſalivam, ſputa Melancholicorum, & lue venereâ infectorum, ſudores Quartanariorum, præcordiorum viſcerumque vitalium, ſexcentas injurias ac querelas ſecum animo ritè perpenderit. In his omnibus, ortus, incrementa, ſtatus, declinatio, criſis, critica molimina, metaſtaſes, periodi, exacerbationes fermenta fermentationemque arguunt. Ipsâ imminutâ frigent animalia languent veterno corripiuntur &c. Abſque illâ eſſet, numquam animantium ventriculi ſolo calore, citius à frigidis expugnando, oſſa, lapides, & duriſſima excoquant; fruſtra ruminantibus multiplex ventriculus fuiſſet conceſſus. Coctionem illam nonnulli menſtruis acidiuſculis volatilibus utcumque imitati ſunt, chylum aut chylo non diſſimilem materiam ex alimentis in vitro promentes. Fermenta adventitia merito habentur quæcumque in corpus admiſſa ſubigi nequeunt ut cathartica, diuretica, diaphoretica, venena; evacuare, purgare, nihil aliud eſt quam ſolvere, incraſſare corroborare nihil aliud quam compingere. Quin & in ipſis ſenſibus ad vitam ſimpliciter, vel ad melius neceſſariis, Naturæ chymicus apparatus. Quid aliud ſapida ſunt quam extracta, odorata quam infuſa in & ab aëre prolicita, quorum fortaſſe non minores numerò differentiæ quam infuſa in aquis. Eadem prope ars ſapientiſſimæ naturæ ſimia, perficit. Chymia ars naturæ & hominum naturalibus adjumentis, opibus ac viribus utentium. Chymicus naturæ imitator, licet plerumque inſcius obſtetricante manu, complet ſolùm naturæ munia jungendo, temperando, ſecernendo; liquando, exacuendo. Ejus receſsùs, ſi non ultimos ſaltem remotiores utcumque aperit. Σύνθεσιν in miſtis probat, per ἔκκρισιν. Acidum & acre ſuos & naturæ pugiles ac inſtrumenta, κεφαλαιωδέστατα medicinæ objecta in lucem emittit chymia τῇ φύσει συνεργοῦσα. Inſipidum primo ſolet effugere phlegma: tum adaucto igne pars mage ſapida volatiliſque: deinde pinguis & inflammanda acriori expeditur vulcano: poſtea flammis extremo gradu furentibus adunitum fixiori compage colchotar educitur. In his acre & acidum diverſis Philoſophorum ſyſtematis non repugnantia. Quod ſpirituoſum eſt aut volatile ſuam ab hiſce pugilibus omnem ſortitur vim & efficientiam: Fixa repetitis cohobationibus, ab iiſdem in volatilem tranſeunt conditionem: quod ſalſum ex utriuſque mixturâ conſtat: quod oleoſum exiis potiſſimum integratur. Acre & acidum non patit ignis, ſed ad ſummum vexando alterat aut conjugando quæ ſeparata; aut diſſociando quæ conjuncta prius inerant mixto, ſed compedibus materiæ craſſioris alligata. Eorum, ſi eſſent ignis producta, cognitio tamen phyſico minimè eſſet inutilis: quod enim ignis arte hominum, idem ignis animantium ſeu naturæ præſtat: Ventriculus in actum educit, à quibus irritatur, acria ſulphura pulveris Emetici, ferè ſimiliter ab arte proliciendâ. Acidum & acre ſuadent acidulæ, redivivæ venarum metallicarum fæcunditates, demortua mineralium capita reparata & ſexcenta alia multiplici ſpectaculo, variis exemplis; ſemper juxtâ peculiarem mixtorum compagem coeuntibus, colliquatis, coalitis, motis, geminis hiſce ſalibus, ſive occultis ſive ſenſibus obviis. Ars itaque ut & natura ſua metitur diſtillando, irrigando, ſiccando, calcinando, reſolvendo, iiſdem mediis ſed ſortis humilioris: fermentationem concitat impedimenta tollendo, vel actuoſa adhibendo rebus difficulter fermentaturis, efferveſcentiam, ſi maxima ſit principiorum vis & oppoſitio. Fermenta ſunt iſtæc, occaſiones non cauſæ fermentationis. Soluit ars ut & natura beneficio menſtruorum. Menſtrua ſunt corpora rigida motu ſuo ac ratione propriæ texturæ & particularum congruarum convenientiæ, concreti poros ſubeuntia, ejus minima divellentia, ſibi implicantia: inde eſt quod vel ipſum in motu ſecum abripiant & in fluido ſtatu linquant, vel à concreto retineantur & cum ipſo ſimul in mixtum ſolidum coaleſcant. Quadruplex menſtruum pro ſolvendorum quadruplici differentiâ; aqueum, ſulphureum, ſalinum & ſulphureo-ſalinum: quintum additur à nonnullis univerſale, eorum votum non inventum. An eſſe poſſit lis eſt, facilè negando diſſolvitur. Salinum quidem conſtans ſalibus acidis, acribus, hiſque tum volatilibus igni mobilioribus; tum fixis, tardioribus; ab illis ſalibus ſolutio lentiſſimarum ac duriſſimarum ſubſtantiarum auri ferri &c. liquidorum concretio, cum alter alterum complectitur; nonnumquam ſponte, nonnumquam ignis adjumento, ſive cæleſtis ille ſit à ſole, ſive focarius, ſive occultus in fimo ſubterraneiſque, ubique idem, eodem agens modo. Hinc analyſis & compoſitio ſeu διακρίσις ἢ συγκρίσις. ab his & ad hæc omnia opera chymica: Calcinatio, immiſſis acidis, dimiſſis fugatiſque aqueis oleoſis: Exſiccatio impertito motu fluidioribus particulis à quo rarefactæ avolant, cæteris in arctum magis ab externo preſſu coactis. Fuſio particulis corporum unius ferè generis aliæ ſuper alias allabi juſſis: Combuſtio, ſulphuribus conſumptis, aquis diſſipatis: Præcipitatio, diſſlato fractove menſtruo, vel novo acidi & acris coalitu gravitatem exerente & ad infima deturbante: Sublimatio, parte volatili à fixis expeditâ, excitatâ, rarefactâ, condenſatâ: Circulatio, Cohobatio, iteratis affuſionibus menſtrui ſolventis & attenuantis. Fermentatio, maceratio, ſalibus fluorem adeptis molem univerſam diſtendentibus, acore inducto: Coalitus ſeu Coagulatio, ſubtilioribus abactis, vel introductis in poros particulis rigidioribus: Fixatio poris dilatatis ingeſtiſque fixioribus, à quibus veluti palis aut cuneis ſiſtatur motus: Congelatio, particulis rigidioribus & acutis in poros fluidorum miſſis: ſic ab acidis acria, & ab acribus acida congelantur; ut quidquid in uno horum ſolutum ſit, ab altero denuò ſtringatur &c.

UBIQUE eadem materia ſub miris diverſiſque laruis, eadem vis ignis nimirum in acido naturæ, acidum in igne artis; idem motus, eventus idem conjunctio, ſeparatio. Hinc varii his aut illis ætatibus machinas, automata brutorum ſimiles aut veluti ſimias effinxere: alii mechaniſmo ſolo utentes, alii ſimul & chymicam adhibentes fermentationem non exiguam collocavere operam & induſtriam quo ambulationis, contorſionis, expanſionis alarum aut brachiorum, volatus imo & cujuſdam vocis motus æmularentur: id autem genus machinæ debiles, vix per minuta pauca mobiles, nactæ principium motus aſſiduiſſimâ manuum operatione ſemper reparandum, in ſuis motibus viles, ad certa & pauca ſolum determinatæ, limitibus arctiſſimis concluſæ, imperfectione ſuâ & eo quo diſtant ab operibus naturæ immenſo intervallo, vim, potentiam ſupremi artificis comparatione à minimis ad maxima ſummopere commendant; oſtendunt artem hominum in rebus omnibus minimam, jejunam, Dei artem in maximis ut & in minimis maximam, quæ opera nec ſufficienter cognoſcere nedum imitari valeat homuncio; *ne inveniat opus quod operatus eſt Deus ab initio uſque in finem.* Ubique idem artifex Deus, in natura ſolus, Deus in arte per homines. Tantò inferiora artis opera quantò Deus homine ſuperior. Mutatio naturæ nulla per homines quia nullus motus ab ipſis: quia occaſio motûs omnis à Deo creati ſummo & ſolo rerum omnium motore, nunquam cauſa ſunt homines; multa frequenſque per Deum cujus unius eſt mutare ſingulas naturas, ut unius fuit eas creare. Ars nulla poteſt naturæ ſolertiam aſſequi nec imitari; ars Naturæ, ars Dei, ars artium; ars operoſa, facilis Natura quippe Dei manus; ars manca, Natura perfecta; ars craſſa, tarda, præceps; Natura ſolers, feſtinans, compoſita, ſubtilitatis immenſæ. Naturæ in omni genere vis magna & incredibilis; artis imbecilla & ne hoc quidem in omnibus ſed paucis rebus; artis pauca, disjecta inſtrumenta, Naturæ omnia præſto ſunt; artis apparatus tenuis infirmus, Naturæ ſuppellex ingens, ampla, opes maximæ. Ars ſterilis caduca, deficiens, Natura fæcundiſſima, nunquam effœta; artis anguſtum ingenium paucos aditus habet, exitus paucos; Naturæ ingenium varium, multiplex, immenſum. Naturæ ars incomprehenſibilis, motûs occulti, quippe ad ſua tempora compoſiti: inſtrumenta occulta, quippe ſubtilia, ſexaginta propè ſæculis vix dum ex parte comprehenſa; innumeris, ſi darentur, nunquam omninò comprehendenda. Artis comprehenſio omnium hominum communis, motûs manifeſti, inſtrumenta pervulgata, ſenſibus obvia. Sed ad inveſtigandam latentem Naturam tantò fortaſſe aptior ars manifeſta quanto præſertim craſſior, iiſdem genere inſtrumentis & motibus in eandem genere materiam agat. Ars igitur ſpagyrica docet Naturæ molimina. Pleraque per ignem τεχνουργήματα oculis arrepta non lippientibus, expenſa ratione, ſtabiliendæ ſapientiæ Medicæ utilia: plurima tamen adhuc minus indagata cum remanſerint vel ut detecta & explanata nobis obtruſa fuerint, vota ſeu deſiderata Chymica numerum & molem cognitorum & repertorum longè ſuperant: arte nempe pleriſque olim ſpretâ, à ſolis imperitis ferè tractatâ, naturæ & rerum ſcrutatoribus vix nuper tantum admiſſâ. Medicina analogiæ ſcientia: veritas ab analogiis è Chymiâ depromptis ſurgit ſæpiſſimè: iis innitantur fundamenta quibus commodè ſuperſtrui poſſit Medicinæ moles. Chymia adumbrata tantum imago Naturæ, ſed imago tamen: ut ex operum Chymicorum explanatione, ad exponendas naturæ functiones & medicamentorum opera dijudicanda dirigendaque, non parum facta & futura ſit acceſſio.

Ergo æqua functionum Naturalium, cum Chymicis Operibus comparatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius Burlet.
M. Alexander-Petrus Mattot.
M. Claudius Bourdelin, Præſes.
M. Joannes-Franciſcus Foy-Vaillant.
M. Alexius Littre.
M. Philippus-Ignatius Save.
M. Antonius de Sainct-Yon, Medicus Regis ordinarius.
M. Joannes Robert.
M. Ludovicus Gayant, Medicus Regius ordinarius.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Proponebat Lutetiæ AMBROSIUS-NICOLAUS CHEMINEAU diœceſis Senonenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1692.